

que inter
alios homi-
nes.

Cum qua sic loqueris, tanquam tecum ipse loquaris?

Firmius estne isto vel maius federe fedus?

In reliquis etenim, quos forsitan habemus, amicis,

Est animi fedus tantum & coniunctio nostri:

Verum summus amor, fedusque in coniuge nostra

Est maius fedus, quin federe corporis ipso

Iungimur, & socij sumus inde bonique malique.

PAL.

In reliquis etiam quanta est simulatio amicis

Quantaque perfidia est? & vulgo federa tantum

Utilitate probant: nam cum tua vela secundo,

Aequore firmantur, multos numerabis amicos

Fortuna reflante volant, ceu garrula hirundo

Deserit antiquas sedes, cum praeterit aestas.

TIT.

Successore nouo non raro antiquus amicus

Sedibus eijcitur, paucos constantia vidit

Durare, & charum seruare in funera fedus:

Ast uxoris amor volucris periuria linguae

Non habet, atque inuti nulla haurit tedia pacti,

Non rumpens in amore fidem, non federa rumens,

Mens immota manet, nec fert inflectere sensus.

Tantus amor pietate tui matremque patremque

Deserit, & dulces fratres, hisque omnibus vnus

Es potior, reliquosque tui contemnit amore,

Ex te vno pendet, te sedula respicit vnum

Illam mori tecum vult, & vult viuere tecum.

Hercle voluptates nullas his consero, Dama.

Si